Quaestio medica Cardinalitiis Disputationibus agitanda In Scholis Medic. die Jovis 22a Martii, D. Lodoico Cochinaeo Doctore Medico, moderatore prudentissimo.

An omnia Contagia Catharticis vitanda?

Contagio elementorum mixtioni respondens non caelo (In quo nullum Influxum agnoscimus) similis est ex uno In alterum per contactum transiens Infectio. Ea saepe corporis Infecti compagem, nulla Intemperie Inducta, nulla antecedente humorum putredine, totius substantiae (quae nihil est aliud quam temperamenti modus et ratio) contrarietate dissolvit. Maxime vero grassatur, cum halitus spiritusve ab Infecto corpore Emissus, alteri Inhaeret et agglutinatur, aut per summa corporis Errat, cumque corpora quae recipiunt mollia, rara, tenera, Infectis analoga, huicque contagioni (cui et resistere potest quisque fortis) minime assueta habent, vel pravis humoribus ~~abundant~~ abundarint.

Contagia alia corporis, alia animi. Alia perniciosa et lethalia, quod principio cor Invadit, similia sunt ut In peste, quae non sit putrefacta substantia cordis, vel corrupto eius humore primigenio, praesertim cum ut Erysipelata, ut minimam solutionem cor Ipsum tolerare possit: alia vero minime perniciosa, ut In variolis et morbillis, In quibus per Exanthemata et sanguine maternalis contracta, veluti quadam crisi evacuatur Infectio. Alia spiritus, alia humores, alia partes solidas Invadunt. Alia per aspectum, quaedam per auditum, nonnulla per odoratum, per gustum alia, per phantasiam (quae In monstrosis humoribus plurimum habet effic~~...~~ idiciae) plurima suscipiunt. Omnia quidem morbifica sunt, cum tamen omnes morbi contagiosi non sint, ut Apoplexia, hydrops et plerique Etiam hereditarii.

Contagionis causa cum In aere maxime sit posita, paucissimus hauriendus spiritus, Isque septentrionalis frigidus siccus, non australis (licet et adverso polo spiret) calidus humidusque: Ignorum aliarumque rerum odoratarum suffitibus corrigendus aer: utendum cibis coctu facilibus, et paucis (licet In brevi victu magis delinquant aegri, quam In paulo pleniore) omnis qualiscumque sit corrigenda Intemperies, et ad mediocritatem revocanda: ab omni animi corporisque concitatione motu abstinendum. Interdum confert purgatio et venae sectio (quarum haec illi est anteponenda) Interdum nocua prodest, sed quae tota substantia ~~purgant~~ pugnam amuleta, huic contagioni Exhibenda sunt congruentissima, qualis est bolus armena, lemnia terra, Mithridatium, Theriaca.

Cum vero facultatum omnium robur praestantia Medico Imprimis conservanda sit, tamen ut con~~...~~tagionis venenatae (quae si Iam corpus Invaserit vero, quod temperamento calidum est et siccum, abstinendum) vis frangatur, vitalis facultas, quae cordis motu Ipsissimo respondente antidota pulsu, In universum corpus funditur, potissimum et maxime antiqua restituenda est. Ophthalmiae vero, phthisis, luis venereae, Elephantiae, leprae, scabiei, variolarum, morbillorum, aliorumque Exanthematum contagiosorum (quibus In corpore Erumpentibus si excretiones biliosae fuerint purgabis corpus, si vero saniei similes tuto mutaveris) seminaria singula suis quibusdam propriis remediis repellenda sunt.

Cathartica medicamenta nostrum corpus Ingressa, tum demum cum calore ventriculi ~~...~~ trita calefactaque sunt, vires Exerunt, In actum Erumpunt, totique corpori, cuius calore ~~...~~ excitata sunt, mutuam gratiam purgando rependunt. Omnia quidem calida, non tamen caloris vi, aut vacui fuga, sed naturae similitudine humores trahunt, alia quidem bilem, alia pituitam, alia melancholiam, plerique plures simul prolectant, non Ita tamen, ut ad humorem vacuandum pharmaci corpus concidat et perimat: proinde tum demum Cathartica Exhibenda sunt, cum humor aliquis, vel plures vitium faciunt In corpore. Contagia vero quae nullo antiquiore humorum ~~vitio~~ vitio societatem suam Exercent, solis remediis Alexiteriis, quae nullo humore corpus humanum purgant, sed caeca occultaque vi, contagiosa seminaria delent et Extinguunt.

Ergo non omnia Contagia Catharticis vitanda.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Ponebat Michael Marescot Rector. anno 1566 Decano M. Simone Pietre.